

abc

23 (*Annunziata*, n. 597)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

abc

23 (Annunziata, n. 597)

1489 giugno 23, Ind. VII, Matera

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quatricentesimo octuagesimo nono. Regnante inclito et serenissimo domino nostro domino Ferdinando Dei gratia Sicilie Hierusalem et Hungarie rege, regnorum vero eius anno tricesimo primo amen, mense iunii, die vicesimo tertio eiusdem septime indictionis, Mathere.

Nos Nicolaus Venusius aromatarius de dicta civitate Matere per totum regum Sicilie citra farum regia auctoritate ad contractus iudex, Andreas de Passarellis de dicta civitate Matere puplicus ubilibet per totum predictum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate notarius, dominus Eustasius Risanus, Iohannes Franciscus de Scalczonibus, Robertus Agathus et Iohannes Nicolaus de Augustino, testes subscripti viri litterati et inlitterati de affata civitate Mathere ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico permutationis instrumento fatemur notum facimus et testamur quod prescripto die ibidem in nostri presentia personaliter constitutis Tuczio Eustasii de Gonnora de dicta civitate Mathere, agente pro se et suis heredibus et successoribus, parte una et Angelo et Iacobo Iohannis de Mancino, fratribus, de eadem civitate Mathere, similiter agentibus pro se ipsis eorum heredibus et successoribus pro rata et equali portione, parte altera, prefate quidem ambe partes ipse omnibus vi, dolo, metu, fraude, deceptione vel suasionem cessantibus ad infrascriptum permutationis contractum unanimiter et concorditer pariterque devenerunt, videlicet quod dictus Tuczus de Gonnora sponte in eadem nostri presentia palam, puplice et non occulte permutavit et excambiavit et ex causa ipsius permutationis et excambii ac vicarie

tutulo per iustum ut moris est in perpetuum dedit, tradidit et assignavit ac libere concessit eisdem Angelo et Iacobo de Mancino, fratribus ibidem presentibus volentibus permutantibus et recipientibus ac sollemniter et legitime stipulantibus pro se eorum heredibus et successoribus petiam unam terrarum laboratoriarum quam idem Tutius dixit habere tenere et possidere iusto titulo et bona fide sitam et positam in tenimento Mathere, in contrata Terre Albe, iuxta terras Iacobi Cicci Macthei Cuzani, iuxta terras capituli maioris ecclesie Matherane, iuxta terras dotaless Selvagii Pauli Roberti Gargairi, iuxta viam publicam qua itur Griptolinum et alios suos fines si quos habet veriores cum introitibus et exitibus accessibus et egressibus iuribus omnibus et pertinentiis suis ac cum omnibus infra se et dictos suos fines in integrum habitis et contentis omnique iure, actione, usu, requisitione seu consuetudine eidem petie terrarum ut supra permutato et iuribus omnibus et pertinentiis suis predictis modo quorumque spectantibus et pertinentibus, quoquomodo francam quidem liberam et exemptam ab omni onere servitutis, prestationis, servitii, redditus sive census seu iuris alterius cuiuscumque. Ad semper habendum, tenendum, possidendum, utifruendum, donandum, vendendum, alienandum, permutandum, in dotem et nomine dotis dandum, testamentandum, legandum et pro anima iudicandum et faciendum de ea in eis et ex eis deinceps quicquid eisdem Angelo et Iacobo fratribus permutatoribus eorum heredibus et successoribus perpetuo placuerit, velud de aliis propriis bonis suis tanquam veris dominis et patronis sine eiusdem Tuczii permutatoris, eius heredum et successorum et omnium hominum molestia contrarietate et requisitione,

nullis eidem Tuczio permutatori vel suis heredibus et successoribus sive alicui alii in eis iure portione vel petitione quibuslibet reservatis. Et hoc nominatim pro cantariis sex salis netri affinati boni et receptabilis ad rotulos centum pro quolibet cantario, quod quidem salis nitrum dictorum cantariorum sex ut supra idem Tuctius confexus fuit coram nobis se recepisse et habuisse ab eodem Angelo et Iacobo permutatoribus ibidem presentibus et legitime stipulantibus pro se suis heredibus et successoribus pro permutatione et excambio supradicte petie terrarum ut supra permutate et iurium omnium predictorum suorum ipsumque Angelum et Iacobum permutatores in vacuum et corporalem possessionem supradicte petie terrarum ut supra permutate et iurium omnium predictorum suorum idem Tuctiusa sponte in eadem nostri presentia per fustem ut moris est sollemniter et legitime introduxit et investivit et constituit se dictus Tuctius permutator tenere et possidere dictam petiam terrarum ut supra permutatam, cum iuribus omnibus suis predictis, precario nomine et pro parte dictorum Angeli et Iacobi permutatorum, eorum heredum et successorum, donec supradicti Angelus et Iacobus permutatores vel eius heredes et successores possessionem ipsius petie terrarum cum omnibus iuribus et pertinentiis predictis acceperint corporalem. Quam accipiendi et ingrediendi et eorum auctoritate propria retinendi deinceps sine licentia curie iussu iudicis vel decreto pretoris idem Tuczius permutator eisdem Angelo et Iacobo permutatoribus presentibus ac recipientibus ac sollemniter et legitime stipulantibus pro se, eorum heredibus et successoribus plenam licentiam et omnimodam potestatem ex nunc tribuit et concessit. Et per stipulationem legitimam et

sollemnem supradictus Tuctius permutator sponte in eadem nostri presentia promisit ac proinde se suosque heredes et successores et bona eorum omnia mobilia et stabilia, seseque moventia, habita et habenda, presentia et futura ubicumque et penes quoscumque sistentia sollemniter et legitime obligavit dictam permutationem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis predictis ac omnia et singula supradicta et infrascripta semper ratam, gratam et firmam seu rata, grata et firma hebere tenere et inviolabiliter observare et contra eam vel eas non facere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto nullamque inde exceptionem opponere per se, heredes et successores suos, alium vel alios eorum nomine et pro parte puplice vel occulte modo ingenio vel causa quacumque in iudicio vel extra iudicium ymmo dictam permutationem cum omnibus iuribus suis predictis legitime defendere et autorizare et disbrigare et guarentire ab omni humana persona, collegio seu universitate ius causam vel actionem habere pretendentibus ipsos Angelum et Iacobum permutatores, eius heredes et successores impetere vel molestare volentibus, quoquomodo ac de omni vitio et evictione teneri expensis etiam dapnis et interesse de quibus stetur simplici verbo seu dicto ipsorum Angeli et Iacobi eorum heredum et successorum omni alia extrinseca probatione exclusa, quia sic fuit et venit in pactis inter partes ipsas sollemniter et legitime expressis ad penam unciarum auri decem, medietatem videlicet ipsius pene regie curie vel alteri curie ubi de premissis primitus reclamatio facta fuerit applicandam, me predicto notario Andrea tanquam persona publica una cum prefato iudice ipsam pene medietatem pro parte dicte curie sollemniter et legitime stipulante. Et

reliquam medietatem ipsius pene dictis Angelo et Iacobo permutatoribus, eorum heredibus et successoribus integre persolvendam. Quam pene medietatem supradicti Angelus et Iacobus permutatores fuerunt per se, eorum heredes et successores, sollemniter et legitime stipulati cum refectione expensarum dampnorum et interesse predictorum. Quibus quidem penes expensis, dapnis et interesse solutis vel non solutis aut gratiose remissis presens nichilominus instrumentum cum omnibus que in se continet semper in suo robore perseveret et certificatus prius idem Tuczius permutator per me prefatum iudicem de consilio sapientis de infrascriptis exceptionibus et oppositionibus iuris legum auxiliis et beneficiis ex certa eius scientia per se heredes et successores suos voluntarie coram nobis renunciavit tacita et expressa exceptioni non sic celebrati contractus res alio modo geste vel aliter geste quam sit scriptum iuri canonici, civili ac etiam longobardo, iuri scripto et non scripto, iuri consuetudinario et constitutionibus, capitulis imperialibus et regalibus factis et sciendis iuri per quod deceptis in contractibus subvenitur. Exceptioni dicte permutationis non rite et legitime facte exceptioni dicti salisnitri non dati et assignati et per ipsum Tuctium non habiti et recepti legi qua confexis subvenitur infra biennium legi que penam prohibet in contractibus non apponi et appositam non exigere nec deberi cum effectu iuri dicenti unam penam propter aliam tolli non debere iuri dicenti generalem renunciationem non valere, ymmo voluit eam valere tam ad specificata quam ad non specificata et non specificata pro specificatis haberi ac si omnes casus legum essent in presenti instrumento specialiter numerati et expresse subintellecti et omni alii exceptioni et oppositioni iuris auxilio seu legum

beneficio communi vel speciali per que vel ipsorum aliquod dictus Tuctus permutator vel eius heredes et successores posset seu possunt venire contra predicta vel aliquod predictorum et ea in partem infringere minuire vel totaliter annullare. Et ad maiorem securitatem atque cautelam supradictorum Angeli et Iacobi permutatorum eorum heredum et successorum posset seu possent venire contra predicta supradictus Tictius voluntarie in eadem nostri presentia tactis scripturis corporaliter ad Sancta Dei evangelia iuravit in manibus ipsorum Angeli et Iacobi ibidem presentium et sibi deferentium debitum iuramentum predicta omnia et singula vera esse ipsaque adimplere et inviolabiliter observare prout et qualiter superius particulariter sunt expressa et presens puplicum continet instrumentum. Quod scripsi ego prefatus Andreas puplicus ut supra notarius qui predictis omnibus et singulis vocatus et rogatus interfui meoque solito signo signavi subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum predictorum testium qui similiter premissis omnibus et singulis vocati et rogati interfuimus subscriptionibus et subsignationibus propriis roboratum. Superius autem ubi legitur bona fide et alibi ubi legitur semper et apparet abrasum et emendatum ego idem notarius Andreas abrasi et emendavi non vitio aliquo sed errore quia ita in scribendo erraveram tamen pro autentico habeatur.

1

2

Matheus *M*
segnato come lacuna in M

3

4

Ego Nicolaus Venusius regius qui supra ad contractus iudex predicta fateor vera esse et me subscripsi

Ego Iohannes Franciscus de Scalczonibus predictis interfui // (434v) et me subscripsi

Ego Robertus Agathus testis qui supra predictis interfui et me subscripsi

Ego Eustasius Resanus de Mathera ut testis interfui et propria manu me subscripsi

Signum crucis proprie manus mei Iohannis Nicolai de Augustino qui supra testis inliciterati et scribere nescientis

5

orfani *M*
Gargani *M*
Risanus *M*